



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Incarnatio Mystica Sive Christiformitas**

**Roger, Nicolaus**

**[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.**

Cap. IV. Praxes & industriae ad vitam & mores Christiformes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37940**

450 CHRISTIFORMITAS,  
ex alto. Ac Matrem quidem visita-  
vit humanitate assumptâ, inde Joan-  
nem sanctificans, post Bethleëmiti-  
cum præsepe nascens, hinc templum  
præsentatus, mox Ægyptum profu-  
gus, Inde Nazareth subditus paren-  
tibus. Quot prædicans visitavit infir-  
mos & peccatores medicus? quot  
patiens obiit stationes? etiam mor-  
tuus visitavit inferos consolator, ac  
liberator, &c. Sic visitantis Christi  
affectus inspiciet, ac visitati induet, si-  
ne tædio & maximo cum fructu visi-  
tationes hujusmodi sacras frequenta-  
bit.

#### C A P U T IV.

*Præxes & industria ad vitam & mores  
Christiformes.*

CUM præcipuæ partes Christifor-  
mitatis in imitando, operando-  
que consistant, erunt ad hoc referen-  
dæ præxes hæcenus recensitæ, quibus  
velut remotis si propiores, quas sub-  
jun-

jungo, accesserint, non parum adju-  
menti accipiet Christiformitas ad i-  
mitationem.

1. Manè ubi surrexeris, JESUM ad-  
ora, Deum & hominem firmiter cre-  
dens; inde agnosce illum, ut Regem,  
Salvatorem tuum, ac principium bo-  
norum omnium, simulque in abyssum  
nihili tui te abde coram tanta maje-  
state. Mox projice te in sinum Cha-  
ritatis ipsius, Providentiæ ac Poten-  
tiæ, teque permitte totum ejus arbi-  
trio regendum, sicut membrum capi-  
ti, sicut instrumentum artificis, sicut  
humanitas Christi ipsius se totam  
permisit Verbo, nihil nisi voluntatem  
ejus spirans. Sic vacua mente ac libe-  
ra, omnique jure tui translato ad  
Christum, expeditissimus eris ad om-  
nem ejus tanquam capitis tui nutum  
ac directionem. Denique spiritum  
suum à Christo pete, quo animatus nil  
cogites, nil dicas, nil agas, nisi ex sen-  
su

su

su motuque capitis tui, hoc est ex gratiâ, non ex naturæ vitio ac ductu.

II. Affuesce præsentem intueri Christum, sive quasi contemplantem nos de cælo, sive quasi cum hominibus adhuc conversantem, (dumne vim imaginationi inferas) sive denique, ut in Eucharistia residentem, & ex ea nos per radios seu catenam auream gratiarum ad se pertrahentem; tum eundem velut normam operationis mox exercendæ tibi propone, ut quod hic & nunc in similibus circumstantiis acturum JESUM dictabit animus, hoc agas ipse. Sic B. Franciscus Borgia faciendum monet Opusc. 2. in speculo operum Christi. *Cùm evigilas, inquit, memineris, qua charitate Christus primò conceptus instanti Deum, totumque mundum, ac te nominatim dilexerit, Patrique obtulerit se ad mortem tua causa: atque nunc Domini fervorem alacritatem*

temque imitare. Cùm templum adis, cogita IESVM in templo oblatum, vel ad illud euntem. Orans recordare Christi pernoctantis in oratione, vel in horto orantis. Cùm interes sacro vel sacrificas, vide sacrificantem IESVM in cœna, in cruce. Similiter in actibus internis, in conversatione, in tolerandis adversis, invenies, quod imitare in Christo operante interius, conversante, patiente: ut late 3. part. declaratum est, tu itaque speculum hoc justitiæ intuens ei te conformare stude. Præterea adijunge actiones tuas actionibus Christi, tum ut agenda dirigat: tum ut acta meritorum suorum applicatione corrigat, juvans ad gratiarum actionem, si quid rectè gestum, ad veniam petendam si quid malè. Sic Ecclesia proponit hanc precatiunculam ante recitationem horarum Canonicarum. Domine IESV Christe, ego pro tuo honore te laudare, tibi que purè servire desidero, in unione illius perfectissimæ attentionis, qua

ta

tu Patrem orasti & laudasti in terris, adjuva me tua gratia, quia sine te nil possum. Item post recitatas horas: Bone IESU, propitius esto mihi indignissimo peccatori, ego tepidum & distractum servitium meum commendo mellifluo cordi tuo emendandum atque perficiendum; responde queso, satisfac & supple pro me plenissime. Amen.

III. Attende diligenter ubique ac semper, quoad poteris, quid loquatur in te Dominus JESUS, quid velit, quid inspiret, ad quid invitet: Leva oculos tuos ad ipsum, ut fornicationem iudices (cum citato alibi Abbate Moyse) vel momentaneum à Christi velut exemplaris & speculi, capitisque te dirigentis contemplatione discessum.

IV. Operare quasi unus idemque esses cum Christo, tum anima, tum corpore: & sicut in Christo natura humana ac divina in unam personam  
con-

conveniunt, ita ut actiones utriusque licet diversæ uni eidemque supposito tribuantur. Sic actiones motusque omnes corporis, & animæ tuæ sint huiusmodi, ut à Christo velut principio sint, in ipsius corde, ac visceribus, ac per ipsum, & ad ipsum fiant. Denique ut vivas non tu, sed vivat in te, loquatur, agat, cogitet Christus. Id assequeris, si assuesces spectare carnem tuam velut carnem Christi, & animam velut animam Christi, ita ut videas quasi oculis Christi, audias ejus auribus, patientiam, humilitatem ac cæteras virtutes exerceas ejus patientia, humilitate, ac cæteris ejusdem virtutibus.

V. Agnosce non modò in te, sed etiam in aliis omnibus Christum, sicut in 3, part. c. 8. faciendum diximus, atque hanc praxim oratione & frequentatione actuum, sic tibi familiarem reddere stude, ut quoties proximum

T

vides

vides vel audis, toties Christi memineris, si honorem exhibes, si charitatem, si alloqueris, si quid aliud facis, id Christo exhiberi, fierique putēs. Pie Thomas à Kempis in hortulo Rosar. c. 17. *Qui fratri indigenti subvenit, IESVM per manum ne labatur, retinet: qui fratri contristato solatio sum verbum respondet, osculum amaro sum IESV oritur tribuit: qui alterius culpam plangit, & pro eo veniam petit, pedes IESV lavat & extergit: qui irascentem ad pacem reformat, lectulum floridum IESV in anima parat: Qui fratri in mensa meliora quam sibi apponit, pauperibusque tribuit, IESVM charitatis dapibus & mellis favo pascit: qui otiosa verba loqui prohibet, volucres abigit ne perdant sementem IESV: qui detractio- nem audire renuit, & loquentes inhonesta corripit, fures de domo Dei baculo ferit & fugat: qui mala alterius audit, & multum inde dolet & gemit, sacra IESV vulnera tangit & perungit, qui bona & proficua lo-*  
qui-

quitur, & sancta exempla narrat, aures  
Iesu suavi musica recreat, &c.

Infinitem sit industrias omnes in  
hoc genere numerando persequi.  
Porro hic valet illud: Dilige, & fac  
quod vis.

*Ad majorem Dei-hominis gloriam.*

VIVAT JESUS, VIVAT,  
VIVAT.

F I N I S.

*Collegii Johis Jesu*

*Paderborna*

*(H)*

*1697.*

APPRO.